

Quanto in summa potestate liberior, & suo contactu nocentior. Cum itaq; in vitam principis, vel cujusvis regentis sint omnium oculi coniecti, nec virtutes nec vitia latere diu possunt. Quis enim celarit ignem, qui lumine suo proditur? Ingens ignis flamma libidinis, ingens est incendium ira praefervida. Utraq; pestis pulcherrima regna multo sanguine & avorum ingentibus curis parata, subito depopulatur. Maxima servitus imperantium, ut omnium subeant censuram. Ut cum omnia possint, minimum tamen illis liceat. Paucis hoc absolvit Salustius, *In maxima fortuna minima licentia*. Curiosum hominum genus in vitam principum, incuriosum in suam. Quis negaverit ex sententia Solonis esse bellam arcem principatum, sed descensum non habere. Arcem scilicet virtutum, nec descensum ad vitia. Verè & benè dixit esse arcem, vel alteram pharum; quæ omnium pateat oculis. Rumor dicta & facta excipit, loqui non possunt, quin omnes ad vocem intendant. Prodeunt? incensus, motus, habitus corporis observantur. Morem iræ gerunt? terrentur omnes & more ferarum defugiunt ad tumultus tonitrua. Vulgi est procurrere in iras; favire vocibus ignobilis populi; at rectori urbium nec vociferatio quidem est ex majestate, quem & intemperantia verbi dedecorat. Omnes principis animum, tanquam rem magnam & sacram & Coelo demissam, quasi divinitatis capacem venerentur; quæ in ceteros dominari possit. Aberrare itaq; à fortuna sua non potest, à qua obsidetur & Principem sequitur magno apparatu. Magna proinde incumbat necessitas imperatoribus suam fortunam tuendi, quam sortiti sunt. Hoc sub nomine Theodosii Magni ad filium *Honorium* pulchrè docet *Claudianus*.

*Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in orbe.
Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam, nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitii; nam lux altissima fati
Occultum nil esse sinit.*

Bene & Juvenalis.

Secretum divitis ullum esse putas? Taceant homines, jumenta loquentur. Quare iterum atq; iterum moneo, salutem & naufragium orbis, & urbium à vita regentis pendere. Transcribuntur in leges virtutes & vitia principum. *Minus edicta valent, quam vita regentis. Nominis plus horror, quam tuus ensis aget.* Ait *Claudianus*. Princeps foris DEI simulachrum: domi virtutis. Pulchrè ad Trajanum *Plinius*: Pulchrum, quod te ab omni contagione reprimis ac revocas, sed magnificentius quod tuos. Decet enim Principem suorum quoq; maximam habere curam juxta illud *Martialis*. *Principis est virtus maxima nosse suos.* Paucos regendis imperiis natura dedit. Maxima pars hominum parendo, est melior. Unus Rex apibus numerosissimis, corpore & notis Regiis prælucens, clariorq; inauguratus, reliqua turba servitutis voluntarie jugum subiit. Hoc imperatorum imperator *Diocletianus*, sola Tyrannide in Christianos infamis, cetera eminentissimi ingenii docuit, cum dixit; *nihil est difficilius, quam bene regnare*. *Aurelianum* fato imperii adepti funestum rebus gerendis per nobilissima facinora judicavit reipublicæ feliciorum dum suberat, quam cum præseset imperio; Tunc enim impotens iræ nequaquam hilari vultu, nec patienter ferebat injurias. Ha-

D

bent